



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 57. in detractores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

mos quadro lapide edificabitur, & non habitabit in eis. vineas plantabitur amantissimas, & non bibetis vinum earum. in quæ Cyrillus: diripiebatur pauperem, ut ab eo tolleretur, qui victui necessaria vix habebat, & quid quid pretiosum videbatur & pulchrum, vestris usibus tradebatur. & homines spoliastis, ut ades vestiretis marmoribus. Quas quia edificastis de rapinis, & non solum mansioni & tecto, quod exigit humana fragilitas, sed pulchritudini & delicijs preparastis, repentinam captivitatem, vel morte subtracti, non habitabit in eis. Habitabunt

autem cum igne devorante, cum arboribus sempiternis, denudati omni decore & solatio, amicti pudore sicut vestimento, involuti flammarum incendio, igneis coronati spinis, & non arundine sed scorpionibus, sed fulminibus, sed gladio igneo percutiendi. Judicium enim sine misericordia his, qui conservis suis misericordiam cum hodierno servo nequam facere noluerunt.

* * *
* * *



PHILIPPICA LVII.

In Detractores.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Abeuntes Pharisei consilium iniierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matth. 22. v. 15.

§. I.
Detractores
hodiernis
Phariseis
similes.



Quot hodieque Phariseorum discipuli & Herodiani sunt, qui ut proximum suum in sermone capiant, ut diminuendi boni nominis occasionem arripiant, nescio quod abeunt ad consilium nequam ineundum. Abeuntes Pharisei quod abierunt? extra salutis semitam, extra charitatis orbitam, extra regiam justitiæ viam. quo abierunt? à Iesu qui est Via, veritas, vita, quod abirent nisi in devium, in labyrinthum & mendacium, in vitiorum circulum, in mortis & damnationis barathrum. huc huc properant, quotquot Phariseorum frequentant curiam, curiosè accurrantes, quâ viâ & methodo bonum proximorum nomen, quod est divitijs multis melius, diminuere, ca-

villari, calumniari, & grandi infamiæ notâ configere valeant: si que capere non possint in opere, capiunt in sermone, & ut habet græcus codex, illaqueent in verbis suis. Pharisei quod abierunt? interrogat Orator aureus homil. 42. in Imperfecto, & respondet: *ad Herodianos, qui in diaboli iniquitatibus ambulabant, diaboli adiutorium necessarium habent.* Herodianis associare se non verentur detractores Pharisei, ut quod Herodes gladio, hoc ipsi linguâ sua efficiant, trucident scilicet innocentes, obtruncant gratiarum filios Iohannes, illudant ipsimet Regi gloriæ, vitæque auctori. Herodiani eâ tempestate erant tributorum Cæsareorum exactores, ut docent D. Hieronymus cum Origene, Albertus Magnus cum Thoma Aquinate, cum Paschasio & Cyrillo Alex. Eusebi-

bis Emissenus, ideoque vulgari nomine Publicani appellabantur. Publicanis nihilo meliores sunt alienae famae detractores, contra quos fit utinam mihi hodie ferrea vox, ut à via quam inambulant pessima infernoque proxima, ad salutis vitaeque tramitem duce & auspice Christo reducantur. Capite ò detractores sermonem hunc in Jesu nomine, ut caveatis porro Iesum capere in sermone.

§. 2.
Detra-
ctores
passim
plurimi.

Deut. 33.
v. 24.

Poëtarum de Cadmò fabula verissimam hodie transijt in historiam, dentes enim serpentum seminasse Cadmus dicitur, ex quibus armati, mox milites crevere, inque caedem mutuam corruerunt. Vix urbem, imò nec pagum esse puto, ubi dentes Cadmæi copiosè non sint profeminati: *Dentes bestiarum mittam in eos atque serpentium.* Detractorum certè copia tanta est, ut verissimè S. Paulinus scripserit epist. 14. *pauci sunt qui huic vitio renuntient, Eraro invenies, qui sic vitam irreprehensibilem exhibere velit, ut non libenter reprehendat alienam. tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen tanquam extremum diaboli laqueum cadant.* Inter quatuor maledictas generationes suprema seu quarta est, quæ *pro dentibus gladios habet* proverb. 30. v. 14. tales gladios imò gladiatas passim est videre, sed gladius earum intret in corda ipsarum. nocet pestilens halitus speculo, nocet fordida manus lilio, nocet hircus horto, caprea oleæ, grando viti, plus lingua detractoria urbi & orbi. Quarta Ægypti plaga fuit musca canina, vocaturq; *plaga gravissima* Exod. 8. v. 24. & canis & musca symbolum est detractorum, gravissima certè in civitate plaga est, si vel unica ejusmodi canina musca reperiatur.

§. 3.

Detractio grande crimen est, ait

S. Bernardus, sive ut D. Chryso-
mus: *grave malum est detractio, vis scire quantum malum? detractio per se loquendo est peccatum mortale,* inquit S. Thomas. Concionatori Apostolico cogitanti, contra quod vitium sibi fulminandum esset, ideoque Spiritum S. imploranti, linguas ex inferno ascendentes videre sibi visus est, & articulata in super vocem cœlo lapsam audìt: *hæc est via ad infernum.* & ecce apparuit anima damnata in corpore igneo, linguam protendens ignitis muscis caninis plenam, quam identidem commorsam vorabat, sed recrecebat continuo. tum damnatus: *ab hoc tormento non liberabor in æternum.* veniet tempus, quo socios habebit ex hoc auditorio, qui nisi pœnitentiam agant, similiter peribunt. veniet tempus, quo rodere & mordere vestras cogemini linguas, linguas ignitas, & igneis insectis plenas, atque ab hoc tormento non erit liberatio in æternum. jam jam in via multi & orco vicini sunt, redeat qui potest, dum tempus est. Clericus alius pertinaciter impœnitens obit, & ex condicto apparuit superstiti Sodali, enarravitq; ferriem suæ condemnationis: Terribilem visu iudicem, heu! quales vultus videre coactus sum, ille me scintillantibus intuitus oculis fulmineâ contra me vocem intonuit: *redde rationem; cur detraxisti? interea videre & audire omnes debui,* quibus in vita detraxeram unâ clamantes voce vindictam, & meritam à justo iudice sententiam. his ego cum nec respondere, nec vultum iudicis sustinere possem, desperavi & obivi, raptat in momento ad tormenta, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. ò si hæc infernalium pœnarum immanitas in cor nostrum ascenderet, obrigesce-

Peccatū
detractio-
nis gravis-
simum.

ret certe lingua ad omne detractio-
nis periculum, nec aliud eructare
cor posset verbum, quam in proxi-
mi laudem & tutelam verbum bo-
num. Decrevit Vespasianus Impe-
rator, ut Detractores caderentur
fustibus; Marcus Antonius, ut ca-
pite plecterentur; Augustus verò, ut
vivi exurerentur. at hæc omnia sup-
plicia nec umbra eorum sunt, quæ
vindex iustitia maledicis detrahen-
tium linguis præparavit. Damna-
tum epulonè idcirco in lingua ve-
hementius, quam membris cæteris
cruciari, quòd carnes crudas in vi-
vis devorârît, famam videlicet ro-
dendo alienam (quòd carnes crudas
edere vocavit Pythagoras) fatis
constat. ò linguati epulones, ò titio-
nes infernales, quanti vos cruciatus
manent in gehenna, nisi citò favere
linguis, & arrosam, abrasamque a-
liorum famam quanto cyus integra-
re modis omnibus contendatis.

S. Greg.
hom. 40. in
Evang.

§. 4.
Detra-
ctores
Deo odi-
biles simi-
lésq; cor-
vis.
proverb.
24. v. 9.
Rom. 1. v.
30.

Ioann. 14.
v. 27.

Quàm severam tam veram ad-
versus detractores protulit sapien-
tissimus Regum sententiam: *abomi-
natio hominū detractor*, sed nec ho-
minum modo (quòd tolerabile for-
tassis foret) sed Dei ipsius abomina-
tio est omnis detractor, ità asseveran-
te Paulo: *detractores Deo odibiles*.
sint licet flagitia alia divinæ sancti-
tati admodum adversa, detractio-
nis nihilominus vitium præ cæteris
exosum est & execrabile. Detra-
ctores Deo odibiles, quia in jus Dei
involant, discordias concitant, te-
stamentum Christi (quòd est: *pacem
relinquo vobis, pacem meam do vo-
bis*) pessumdant, Detractores Deo
odibiles, quia dæmonis munus im-
plant, antichristi præcursores a-
gunt, pestem rebus publicis afflant:
*qui detractio- ni studet, diabolo servit
& turbulentus demon est*, inquit S.
Chrysostomus in psal. 100. Detra-
ctores Deo odibiles, quia impudentes
plusquam canes, crudeles plus-

quam leones, aptissimè D. Bernar-
dinus: *detractor crudelior feris meri-
tò comprobatur: leo leoni parcat, lu-
pus lupum non comedit, & quasi o-
mnes fera crudeles, alijs feris generis
sui parcat, solus detractor sibi simi-
les satagit devorare*. Postquam Ie-
remias de Solyma dixisset: *frons
mulieris meretricis facta est tibi, no-
luisti erubescere* c. 3. v. 3. adjungit:
*in vijs sedebas expectans eos quasi la-
tro*. septuaginta habent: *sicut cor-
vus*, hebræus: *sicut Arabs*. latro-
nes observant eos, qui transeunt, &
subinde comites se jungunt, viam
in silva monstrare se fingunt, sed in
perniciem viatoris, ità detractores.
& sicut corvi in vijs sedent, quæ-
runt & expectant cadaver, ità corvini isti
homines sedent præ foribus, stant
in foro, jacent in fenestra, ingedi-
untur alienas domos, ut sordibus
se se pascant & oblectent. Corvo
proinde S. Augustinus detractorem
comparat, & quidem corvo ex ar-
ca Noëmi emisso, nec redeunti, eò
quòd cadavera in diluvio natantia
reperisset, per quæ subsiliens lania-
bat, pabulabatur, crocitabat. Co-
lumbæ verò confert virum pro-
bum, qui pro ramo olivæ honesta-
tem, & proximi sui commendatio-
nem refert ore columbino. quan-
quam & corvis pejores detractores,
corvi enim mortuos, at detractores
laceffunt vivos, corvi cadavera non
eruant; hi verò pridem incineratos
adhuc maledicis dentibus impe-
tunt. Corvi in tempestate scintillas
rostro circumferunt, quia igneas
exhalationes (quæ eò tempore, quo
fulmina generantur, decidunt) car-
nes crudas esse putant & arripiunt,
at detractores carbones desolatori-
os devoraturi sunt, *carbones juni-
perorum*, ut vertit Hieronymus in
psal. 100. quia hi diutissimè servant
ignem. In vita B. Arnulphi Meten-
sis Episcopi refertur, quòd cum
Præ-

S. Bernar-
din. tom.
2. lect. 29.

S. Augu-
stinus lib.
12. c. 20.
contra
Faustum.

Præful sanctus in processione dæmonem ex femina expulisset, Noddodo quidam detrahere Præfulei cœpit, ac dicere: noster Episcopus etiam homo est, & domi suæ alit matæ famæ homines, at non absuit diu vindicta. proximâ enim nocte ignis domum Noddonis corripuit, & detractorem cum socio sceleris ita exussit, ut toti ardere sibi viderentur, & *aquas aquas* inclamarent, ac vix tandem servari potuerint semiaffi, damnôque suo discere fugiendam esse linguam, quam inflammat gehenna.

§. 5.
Similes
item ser-
pentibus.

Non corvis, sed serpentibus detractores assimilat Ecclesiastes c. 10. v. 11. *si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*, quam similitudinem approbans Sapientia incarnata, *serpentes* inquit *genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ* Matth. 23. v. 33. ejusmodi serpentes fuere, qui Christo crucifixo detraxere movetes capita sua & dicentes: vah qui destruis sibi-
la verunt, & moverunt capita sua Thren. 2. v. 15. quisquis proximo detrahit, serpens est, & denuo illud Crucifixo. quod enim fit proximo, sibi factû Christus reputat. Malefici sunt, qui certis diebus à dæmone designatis sagittas in imagines Crucifixi emittunt, eosque momento vulnerant, quos intedunt, etsi quindecim millib' miliarium distent, & fortissimis arcibus forent muniti. similiter detractores serpentinis suis linguis velut sagittis, dum vivas Dei imagines feriunt, Christum feriunt, & Christum citius, quàm proximum, priusquam enim verba detractionis proferant, jam in animo detractores sunt, jamque Christum læserunt, & per cor illius sagittas suas in proximum emisertunt. Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis. non potest à detractore lædi proximus, quin una lædatur Deus, Nar-

rat Delrio tom. 2. lib. 3. q. 4. maleficis per familiare esse, ut cereas eorum imagines, quos excarnificare intendunt, igni admoveant, acubus pungant, quæque in imagines exercent, eadem sentiant ij, quorum sunt imagines; resentit pariter Deus, quidquid vivæ suæ imagini à detractoribus infertur infamæ, eritque tempus, & illud opinione nostrâ citius, quo ultionem de detractoribus sumet, & serpentes illos maledicet: *quoniam repente consurget perditio eorum*. Proverb. 24. v. 22.

Serpente crudelior vipera est, viperis immanior draco; vipera & draconi detractor à Divis Bernardo & Bernardino confertur. nunquid non vipera est ista lingua (in detractricem fulminat Bernardus) ferocissima planè: nimirum quæ tã lethaliter tres inficiat flatu uno. Severius Bernardinus in illud Apocalypseos c. 12. v. 3. *ecce draco magnus, rufus, habens capita septem & cornua decem: & cauda ejus detrahebat tertiam partem stellarum celi, & misit eas in terram*. per rufum hunc draconem intelligit detractorem, immane omninò monstrum, quod quidquid in proximo illustre & cœleste conspicatur, mox ab alto bonæ existimationis cœlo detrahere conatur, ut non amplius talis esse credatur, qualis erat vel apparebat. posuit in excelsum os suum, iniquitatem in excelsis locutus est. Nec uno solummodo, sed vario ex capite ruinam proximo detractor molitur. loquatur Bernardinus: *detractio est secreta bona occultare*, ecce primum draconis caput, *occulta bona denigrare*, ecce secundum, *bona in mala invertere*, ecce tertium, *bonis mala miscere*, en quartum, *occulta mala manifestare*, ecce quintum, *audita mala augmentare*, ecce sextum, septimum denique, *crimina falsa im-*
Qq 2 po-

§. 6.
Viperæ
confertur
detractor
à S. Ber-
nardo serm-
de tripli-
ci cultod.

Draconi à
S. Bernar-
dino tom.
2. serm. 19.

ponere, quæ sunt septem draconis (detractionis) capita, de quibus Joannes ait: *habens capita septem.* Quodsi per hunc draconem caput reprobatorum omnium Luciferum intelligas, ajo germanissima draconis hujus genimina esse omnes detractores.

S. 7.
Detra-
ctores si-
miles dia-
bolo.

Idem certè detractor est, quod diabolus vel calumniator. unde Paulus monens I. Tim. 3. mulieres servitijs Ecclesiæ subordinatas oportere esse *non detrahentes*, in græco textu posuit: *non diabolicas*. primus detractor diabolus ipsimet. Deo detraxit & mendacem appellavit: *nequaquam moriemini* Genes. 3. totumque illius studium est detrahere sanctis, calumniari, accusare; unde Jobi I. v. 9. legere est, quomodo Deum in laudes Jobi effusum præsumpserit interpellare & jactare: *nunquid Job frustra timet Deum?* nunquid amicus ad ollam est? vitrea est amicitia: quæstiuosa pietas. Detractores appellari dæmonis partus audivimus Joann. 8. v. 44. *vos ex patre diabolo estis. ille homicida erat in initio.* homicidæ sunt omnes detractores: *hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur* S. Gregorius lib. 14. moral. c. 25. Lepidè Guilielmus Peroldus dixit diabolum Dei simium facere id diebus imò horis singulis, quod Sacerdos facit in Ecclesia diebus Dominicis, dum circuit & aspergit aquâ homines, in faciem tamen & non à tergo, diabolus autem cum aqua maledicta & turbida detractionis circuit mundum, & collutulat homines, vocat proinde Peroldus os detractoris vas aequale diaboli juxtâ id psalmo 13. *quorum os maledictione plenum est.* Severè Chrysostomus: *qui detractioni studet, diabolo servit, & turbulentus demon est.*

S. Chryso-
stom. in
ps. 100.

Alij detractorem vocare non dubitant dæmonis barbitonforem, cui pro novacula acutissima est lingua dolosa, prout Doëgo fuit, contra quem innocens David ps. 51. *totâ die injustitiâ cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.* quis Doëgus fuerit I. Reg. 22. describitur, regionum pastorum præfectus, in omne projectus flagitium, qui summum Sacerdotem Achimelech ob panes sanctos & Goliathi gladium fugitivo Davidi commodatum ad Saulem Regem malitiosè detulit, effecitque, ut cum octoginta quinque sacerdotibus Maximus Pontifex regis quidem imperio, Doëg autè ferro contrucidaretur, detrectantibus ceteris satellitibus quibus id à Saule mandatum fuerat, sacrilegas cruentasque manus Dei ministris injicere. nimirum ad nullum non facinus detractor quilibet promptus est ac paratus, *sicut novacula acuta fecisti dolum.* Inungitur smigmate mentum novacula radendum, ut detractor ut facilius persvadeat, laudem & commendationem præfert: *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* ò novacula dolosa, quæ aliud non spectat, quàm ut laudatus depiletur, deglubatur, excorietur.

Figuram ejusmodi tonsorum non illepidam in Rege Ammonitarum Hannon aspicio, de quo 2. Reg. 10. legere est. Miserat humanissimus David intentione sanè optimâ sincerissimâque legatos suos ad Hannonem Ammonitarum Regem, defuncto patri suo Naas parentantem, ut amicum Davidis colluctum testarentur. verum pro commiserationis benevolentiaque officio insignis legatis regijs calumnia infertur. publicum enim in ludibrium contrajus omne gentium viris honestissimis pars barbæ ac capillitij dimidia radi-

raditur, togæque ad eas corporis partes præciduntur, quas nudari vetat pudor, hoc erat insigniter tondere, sed & hoc erat tonfuram fatalem in caput proprium accerferre. non tulit contumeliam David, sed conflato ocyûs exercitu semel iterumque Ammonitas profligat, octoginta septem millia hostium trucidat, metropolim Ammonitarum Rabbatham occupat, inque contumeliæ legatis illatæ ultionem stirpitus evertit & solo æquat, incolarum verò reliquias carpentis ferratis super eas agitatissimè laceravit, cultris & ferris difsecuit, gladijs securibusque truncavit, ignibus fornacum lateritiarum cremavit, crudeli utique supplicio, nisi divina Iustitia in eo adumbrare voluisset, quanta infamibus famæ alienæ tonsoribus parata sint supplicia, ferræ, securis, rhomphææ, sartagine & tormentorum monstra, quibus dicacitatem & dolos suos luan, nec eluant æternum.

§. 8.
Lingua detractoris est lancea transodiens latus Christi.

Hæc omnia in linguam detractricem prolata non ita me commovent, sicut illa Bernardi acutissimè aures & corda penetrans sententia, quæ detestabilem hanc linguam ipsâ lanceâ in cor Iesu immittit acutiorem pronuntiat: *nunquid non lancea est lingua ista? profecto & acutissima, quæ tres penetrat uno ictu, loquentem, audientem, diffamatum, nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodiendo, dictum eleganter! mortuum corpus lanceâ vulneratum est, vivum & immortale in viventibus & immortalitati destinatis membris vulneratur. Spiranti etiamnum Christo magis doluere infamatrices linguæ, quàm*

flagella, quàm spinæ, quàm clavi & crux, quia non post verbera, sed verba eorum, quorum guttur erat sepulchrum patens, os maledictione & amaritudine plenum, venenum aspidum sub labijs, post verba inquam eorum patientissimus Dei filius à Patre suo se derelictum testatur: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!* clavis facros pedes terebrantibus fossisque manibus (verba sunt D. Cypriani ferm, de pass.) de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris, sed fatagis, ut innotescat posteris, quare derelictus à Deo videaris, expositus contumelijs & ludibrijs iudæorum. Non absimiliter Chrysostomus: *in patibulo pendentem omnes amaris eum impetunt verbis, quæ rebus ipsis graviora videntur.* Non potuit Verbum incarnatum configi gravius quàm linguis detractorum.

Sed jam verba & vox me deficit ad fulminandam pro merito linguarum detractoriarum insaniam. non fulminabo, sed suspirabo, & cum Bernardo finiam exclamante: non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odio eos habet dicente Apostolo: detractores Deo odibiles. quàm sententiam Deus ipse loquens in psalmo, audi, quomodo affirmat: detractorem inquit, secreto proximo suo hunc persequer, nec mirum, cum hoc præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, & quidem ceteris acrius impugnare & persequi cognoscatur. omnis ergo qui detrahit, ferit charitatem, & quantum in se est, funditus necat & extinguit non solum in presentibus, sed in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos qui præsentibus sunt, contigerit pervenire. Vides quàm facile

S. Bernardus ferm. 24. in cant.

„cile & in brevi ingentem multitu-
 „dinem animarum velociter cur-
 „rens sermo tabe malitiæ hujus in-
 „ficere possit. unus est, qui loqui-
 „tur & unum tantum verbum pro-
 „fert, & tamen unum illud verbum

„uno in momento multitudinis
 „audientium dum aures infi-
 „cit, animas interfi-
 „cit.

* * *
 * * *
 *



PHILIPPICA LVIII.

In Procrastinatores.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Filia mea modo defuncta est, Matth. 9. v. 18.

§. I.
 Vitupe-
 rio potius
 quam lau-
 de dignus
 Archisy-
 nagogus.



Audent alij archisy-
 nagogum Jairum ve-
 lut vivum prudentiæ
 charitatisque specu-
 lum, eò quòd pro de-
 functæ salute filia

authorem vitæ absque mora inter-
 pellârit, nec obrigescere cadaver,
 multòque minùs condi in urnam,
 aut inferri in sepulchrum passus sit,
 sed calentissimis mox votis manum
 illam, quæ percutit & sanat, dedu-
 cit ad inferos, & reducit, ex oscula-
 tus & obtestatus sit: *veni impone ma-
 num.* laudent, inquam, cum Petro
 Chrysolologo eximiam ejusdem pru-
 dentiam, *cùm esset archisynagogus,
 legis notitiam habebat, & verbo ce-
 tera, hominem manu Dei legerat esse
 figuratum. credidit ergo eâdem manu,
 quâ creatam senserat filiam, recreari
 & reduci posse ad vitam.* Ego verò
 nec charitatem illius prædico, nec
 prudentiam suspicio, sed parrici-
 dam non patrem, crudelem non
 misericordem, stolidum non pru-
 dentem, tardum non velocem pro-
 nuntio, quia defunctâ primùm filiâ
 ad medicum & vitæ restauratorem
 accessisse deprehendo. Si enim

Chrysol.
 serm. 33.

pater, si filia amans, si sanitatis e-
 jusdem procurandæ avidus fuit, cur
 principijs morbi non obstitit, cur
 agonis sustinere angustias, amari-
 tudinem mortis degustare & terri-
 bilium omnium terribilissimum
 subire filiam permisit? cur tempori
 ad Christum non accurrit? si pru-
 dens fuit, cur præveniri à morte
 maluit, quàm prævenire ad vitæ
 auspiciem? cur supplicem ut geminæ
 postea sorores Martha & Magdalena
 quantocyùs non concinnavit epi-
 stolam, eidemque citò inscripsit, ut
 citissimè de reddita filiae sanitate
 gratulari eidem possemus? jam ve-
 rò nec gratulor, nec plaudo, sed in
 archisynagogo omnes illos parrici-
 das appello, qui non carnem & san-
 guinem suum velut iste filiam, sed
 meliorem sui partem, animam, in-
 quam, mortalissimâ obire morte
 permittunt (*anima enim quæ pecca-
 verit, ipsa morietur* Ezech. 18.) nec
 mortuæ curam gerunt & resuscitari
 per Sacramentalem manûs imposi-
 tionem ad vitæ gratiæ curant, verùm
 poenitentiam suam de die in diem,
 imò mensem, annum, lustra differen-
 do multos sibi vitæ menses, añosq;
 aufe-